

ille Tigellius hoc: Caesar, qui cogere posset,
si peteret per amicitiam patris atque suam, non 5
quicquam proficeret: si collibuisset, ab ovo
usque ad mala citaret 'io Bacchae' modo summa
voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
currebat fugiens hostem, persaepe velut qui 10
Iunonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
saepe decem servos; modo reges atque tetrarchas,
omnia magna loquens, modo 'sit mihi mensa tripes et
concha salis puri et toga, quae defendere frigus,
quamvis crassa, queat.' deciens centena dedisses 15
huic parco, paucis contento: quinque diebus
nil erat in oculis. noctes vigilabat ad ipsum
mane, diem totum stertebat. nil fuit umquam
sic impar sibi. — nunc aliquis dicat mihi 'quid tu?
nullane habes vitia?' immo alia, et fortasse minora. 20

Maenius absentem Novium cum carperet, 'heus tu'
quidam ait 'ignoras te, an ut ignotum dare nobis
verba putas?' 'egomet mi ignosco' Maenius inquit.
stultus et improbus hic amor est dignusque notari.
cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis, 25